



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Index Argumentorum De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

INDEX ARGUMENTORUM DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DECISIO LIII. *Argumentum.*

Referuntur diversa nomina, quibus nuncupatur Sacramentum Confirmationis. Traditur ejus existentia, institutio, & definitio. Notantur variae manuum impositiones, ac Uniones Sacrae in Ecclesia.

DECISIO LIV. *Argumentum.*

Tam de Sacramenti Confirmationis materia remota, quam de proxima plenè, ac doctè differit praesens Decisio: & circa utramque materiam plura Dubia, scitu unicuique Ecclesiastico necessaria, proponit, pro utraque opinione examinat, & resolvit.

DECISIO LV. *Argumentum.*

Traditur forma Sacramenti Confirmationis. Inquiritur an illius Verba sint omnia essentialia ad validitatem Sacramenti? Et quomodo sustineri possit forma brevis, qua Graeci utuntur?

DECISIO LVI. *Argumentum.*

Resolvit praesens Decisio, an valeat Confirmationis Sacramentum, si ungatur maxilla confirmandi, non autem Frons? Et quid si unctio fiat ab Episcopo non cum pollice, sed cum indice digito? vel pollice manus sinistrae? aut cum pennicillo?

DECISIO LVII. *Argumentum.*

Agitur de Ministro Sacramenti Confirmationis, & docetur, quod ejus Minister ordinarius est Episcopus. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos ex delegatione Papae. Tempus, locus, & habitus declarantur, quibus Episcopus debet hoc Sacramentum ministrare.

DECISIO LVIII. *Argumentum.*

Referuntur tres effectus Sacramenti Confirmationis: Character, Gratia, & Cognatio spiritualis; ad quos consequendos docetur requiri tres dispositiones in suscipiente: Baptismum, Intentionem, & Statum gratiae.

DECISIO LIX. *Argumentum.*

Propositis pluribus generibus personarum, quae non possunt esse Patrini in Confirmatione; ostenditur ab his Patrinatus officium suscipientibus, si quis non sit baptizatus, vel non confirmatus, nullam contrahi spirituales cognationem.

DECISIO LX. *Argumentum.*

Examinatur, & deciditur famosa Controversia, si plures Patrini suscipiant eundem Confirmandum, an omnes contrahant spirituales cognationem? Tandem demonstratur, an Sacramentum Confirmationis sit de necessitate salutis?

INDEX ARGUMENTORUM DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

DECISIO LXI. *Argumentum.*

Referuntur diversa nomina, quibus nuncupatur Sacramentum Extremæ Unctionis. De Octo Unctionibus Sacris, quae practicantur ab Ecclesia Catholica, ac de earum mystica significatione: Quod cadavera Sacerdotum à Graecis unguuntur Oleo Sancto, antequam sepeliantur.

DECISIO LXII. *Argumentum.*

Probatur Existentia Sacramenti Extremæ Unctionis, ejusque Institutio facta à Christo Domino. Adducuntur rationes, ac auctoritates pro hac veritate desumptae à Conciliis, à SS. Patribus, & à Traditione Ecclesiae. Confutantur Lutherani, ac Calvinistae hoc Sacramentum negantes; & eorum argumenta resolvuntur. Ostenditur triplicem esse Traditionem, Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Compendiosa relatio nativitatis, vitae, ac mortis Martini Lutheri. De origine, & causa Epistolae D. Jacobi Apostoli.

DECISIO LXIII. *Argumentum.*

Disputatur Ubi, & Quando Sacramentum Extremæ Unctionis sit à Christo Domino institutum? Referuntur duae opiniones. Inquiritur, An Unctio, quam faciebant Apostoli *Marc. 6. 13.* fuerit solum miraculosa, an etiam Sacramentalis? Rationes pro, & contra. Concluditur, hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo post ejus Resurrectionem. Docetur, cur SS. Evangelistae de eo expressè non scripserint?

DECISIO LXIV. *Argumentum.*

Traditur definitio Sacramenti Extremæ Unctionis, cujus materia est Oleum olivarum ab Episcopo consecratum. Explicantur sex genera Oleorum, & ostenditur, aliud esse Oleum Nominale: aliud Naturale: aliud Artificiale: aliud Supernaturale: aliud Infernale: aliud Sacramentale. Circa omnia praedicta variae eruditiones habentur, praecipue de bonitate, & usu Olei

natu-